



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij

Romae, 1658

Marcus Antonius Thomatus Episcopus Bitecten[sis].

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

nem Vestram, cuius Pontificatus primarium arcanum est, consulere Christi pauperibus, tanquam solidissimis Ecclesiæ Catholicæ fundamentis.

**Marcus Antonius Thomatus Episcopus
Bitecſen.**

Iustum est, tuoquè dignum Pontificatu, Pater Sanctissime, ut Beatum Thomam à Villanoua Archiepiscopum Valentinum pro tradita tibi potestate Cœlitum albo adscribas, ut eius gloriam nunciet Ecclesia, cuius laudes vnanimi consensu omnes populi enarrant. Admiranda siquidem in eo humilitas fuit, ardentissima erga Deum charitas, inexhausta in elargiendis eleemosynis profusio, indefessa Pastoralis sollicitudinis vigilantia, constantissima sanctimonix fama ad hunc usque diem per integrum sæculum propagata, crebrisquè, & exploratissimis miraculis comprobata. Tanto igitur Antistiti Sanctorum honorem decernens, rem facies, Beatissime Pater, toto Orbi Christiano gloriosam, & horum temporum necessitatibus maximè opportunam, ut qui in diebus suis placuit Deo, fiat nunc pro populo Dei reconciliatio.

**Carolus de Vecchijs Episcopus Clusinus Sacr.
Concilij Congregationis à Secretis.**

Admonet me proprij muneris ratio, Beatissime Pater, ut ad cœlestes honores Beato Thomæ Archiepiscopo Valentix decernendos, suffragium aliunde, quàm ex Tridentino Concilio deriuatum non feram. Inchoatam ille Tridentinam Synodum, non absolutam vidit. Absolutam tamen optimi Pastoris formam, priusquam Tridentini Patres sancirent verbis, Thomas firmavit exemplo, & anticipata executione decreta Patrum præoccupauit, & vota. Meritò igitur Sanctorum Concilio adscribendus est ille, qui Apostolicæ Reformationis Concilium priusquam absolueretur, in se absoluit.